

esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem: deum illa esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema sit. Hactenus Concilium Tridentinum. In cuius verbis ambo Lutheri errores de quibus in hoc capite differimus aperitissime damnantur. De hac re scripsit ante quadraginta annos frater Stephanus Brulifer tractatum insignem de timore domini servili, adversus quandam innominatum prædicatorem, qui tunc temporis populo prædicans, eadem docere tentavit de timore servili, quæ nunc Lutherus docet. Scripsit etiam nunc Joannes Episcopus Rossensis in eo opere quod contra Lutheri captivitatem Babylonicam ædificavit: cui rei totum unum articulum videlicet sextum tribuit. Jacobus Latomus in opere quod pro asserione facultatis Lovaniensis contra Lutherum scripsit multo fustius quam Rossensis de hac re ractat. Alium autem non vidi.

CORRECTIO.

DE hac re est unus error dicens quod populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere, sed de hoc infra disputabimus in titulo de subditis.

CREATURA.

PRIMA de hac re hæresis est dicens creaturas ab alio quam à Deo esse factas. Verum hæc in plures adhuc sectas dividitur. Quidam enim dixerunt totum hunc mundum fuisse ab Angelis factum.

Et huius erroris princeps fuit Simon ille Magus, de quo in Actis Apostolorum fit mentio, quem secutus est Menander illius discipulus, & Saturninus, à quo Saturniani dicti sunt. Qui ait solos septem Angelos fecisse mundum præter conscientiam Dei patris. Et Cerinthus. Alii dixerunt creaturas factas esse à malo Deo. Hi enim (ut infra dicemus) duos posterunt Deos. Unum bonum, qui nihil rerum harum creaverit: alium malum, à quo omnes creaturas processisse dicunt. Huius hæresis auctores fuerunt hi qui appellati sunt Gnostici. Hos secutus est impius Manichæus. Augustinus tamen in libro de hæresibus cap. 46. de Manichæis loquens dicit illos asserere mundum fuisse factum à bono Deo, sed habere in se commixtionem mali. Sed Theophylactus Manichæos dicit asserere creaturam esse à malo Deo factam. Exponens enim miraculum illud quod est apud Joannem cap. 3. quando de quinque panibus satiavit dominus quinque millia hominum, sic ait: „Confundantur Manichæi dicentes quod panis & omnes creaturæ factæ sint à malo Deo: propterea si quis dederit eis panem, non accipiunt illum de manibus illius, sed procul quidem illum, abjici jubent: stantes autem & maledicentes ei qui dedit, dicunt: Qui seminavit te, dispergatur: & qui pinxit te, pinxatur carne, & similia. Confundantur itaque, dicentes quod boni Dei filii Christus panes multiplicavit. Nam si mala fuisset creatura, beatus Deus, illam utique non multiplicasset, ut taceam interim quod ipse panes comedit. Hæc Theophyl. Et Concil. Braccaren. l. c. 13. hoc idem tribuere videtur Manichæo, quod illi tribuit Theophylactus, sicut infra patebit. Eundem etiam errorem cum Manichæo docuit postea Priscillianus. Hæc ergo istorum omnium hæreticorum communis hæresis convincitur per id quod dicitur Genesis primo: *In principio creavit Deus caelum & terram.* Non ergo Angeli, aut aliæ virtutes. Et Salomon ait: (*Ecl. 18.*) *Creavit Deus*

ut essent omnia. Et Ecclesiasticus idem expresse asserit, dicens: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Verum hoc testimonio non vincitur Manichæus, quoniam dicit malum Deum esse æque æternum sicut bonum; quapropter illum Ecclesiastici locum de suo malo Deo interpretantur. Sed audiat Malachiam cap. 2. dicentem: *Numquid non Deus unus creavit nos? Ecce Manichæus Dei unitatem, & illum unum Deum creatorem omnium nostrum. Non ergo creaturæ sunt ab Angelis, ut Simon, aut Menander, aut Valentinus dixerunt: Non etiam à malo Deo, ut impius Manichæus dixit, & illius sectator Priscillianus. Sed quoniam Manichæus (ut alias dicemus) vetustæ testamentum rejicit, ad novum confugiamus instrumentum. Joannes de filio Dei loquens, cap. 1. ait: *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et paulo post: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est.* Et Paulus Apostolus ait: (*Heb. 3.*) *Qui autem omnia creavit, Deus est.* Et particularem sermonem de cibis alibi faciens, (*1. Tim. 4.*) reprehendensque eos qui ab illis abstinere docent, ait illos habere cauteriam conscientiam, qui prohibent habere, & prohibent abstinere à cibis quos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione. Et 24. seniores procedentes ante thronum in Apocalypsi cap. 4. dicebant: *Dignus es domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam sunt, & creata sunt.* Et Concilium Nicænum ad reprimeendam hæc Manichæorum insaniam adjecit in suo symbolo credendum esse in unum Deum factorem caeli & terræ, visibilibus omnium & invisibilibus. Denique, Concilium Lateranense sub Innocentio Papa huius nominis tertio postquam tres omnes summæ Trinitatis personas unicam esse substantiam dixerat, hæc verba subdit: *Unum universorum principium, creator omnium visibilibus & invisibilibus, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Hæc Concilium. Quæ verba habentur in volumine decretalium primo de sum. Trin. & fide cath. Deinde Concilium Braccarense primum cap. 13. sic definit: *Si quis dicit creationem universæ carnis non opificium esse Dei, sed malorum angelorum, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Hæc Concilium Braccarense. Contra Manichæos cum alias pluries scripserit Augustinus, tamen de hac re signanter scripsit super Genesim contra Manichæos.*

Secunda hæresis quam ex priore Manichæus deducit, est quod creaturæ sunt malæ ex se & generatione sua, quia (inquit) à malo Deo creatæ sunt. Cui sententiæ postea subscripsit Priscillianus. Hæc autem hæresis adeo est aperta, ut non esset opus adversus eam pugnare, nisi contra homines effrontes & duræ cervicis ageremus. Sed suo eos telo configamus. Omnis creatura ex se bona est, quia (ut jam proxime convicimus) omnis creatura ab uno Deo, qui summe bonus est, facta reperitur. Præterea, descripta per Moysen omnium rerum creatione, statim addidit: (*Gen. 1.*) *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quid ergo insanit Manichæus, dicens ea omnia esse mala? Rursum, Sapiens ait: (*Sap. 2.*) *Diligis domine omnia, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Sed si creaturæ ex se malæ essent, Deus id quod malum est, diligeret. Sed jam ad testamentum novum recurramus oportet,

quia contra Manichæos agimus. Paulus ait in priore ad Timotheum epistola cap. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Postremo, Concilium Braccarense primum cap. 7. suorum decretorum sic definit: *Si quis dicit diabolum non fuisse prius Angelum bonum à Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam ejus, sed dicit eum ex tenebris emerisse, non aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principium abique subsistentiam mala, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Et cap. 8. iterum: *Si quis credit quod aliquas immundas creaturas diabolus fecerit, & tonitrua, & fulgura, & tempestates, sicut ipse diabolus auctoritate sua facit, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.* Hæc Concilium Braccarense.

Nec opus est plura adferre in re tam aperta. Contra hanc hæresim scripsit Beatus Augustinus in pluribus locis, præsertim in libro primo de libero arbitrio, quo loco ostendit nihil esse malum nisi à nostro libero arbitrio, & in libro secundo de moribus Ecclesiæ.

C R U X.

DE hac re est unus error qui nullo pacto permittit crucem adorari, sed dicit esse idololatram eum qui crucem aut adorat, aut quomodolibet reveretur. Sed de hoc errore jam supra disputavimus in titulo de adoratione, errore primo.

FINIS QUARTI LIBRI.

F. ALFONSI DE CASTRO

ZAMOREN. MINORITÆ.

ADVERSUS HÆRESES.

LIBER QUINTUS.

D E C I M A E.

DECIMAS non esse sacerdotibus solvendas quidam hæretici docuerunt: quamquam ad hoc docendum non eadem ratione omnes persuadebantur. Fuerunt enim quidam dicti Pseudoapostoli, quorum dux & magister fuit quidam Gerardus Sagarellus de Parma circa annum domini 1260. qui captus, & judicio Ecclesiæ damnatus, igni traditus est. Hi ergo Pseudoapostoli (ut Guido ait) dixerunt decimas non debere dari sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ, quia non sunt pauperes sicut Apostoli. Post istos successit in eodem errore Joannes Vvicleph, alia ratione motus. Dicebat enim quod decimæ sunt puræ elemosynæ, & parochiani possunt propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum eas auferre. Sed hæc sententia convincitur esse hæretica per hoc quod nulli licitum est transgredi præceptum divinum. Præceptum autem divinum est de decimis solvendis. Omnes (inquit Deus Levit. 7.) decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, domini sunt, & illi sanctificantur. Hæc autem decimæ multiplici ratione præcipiuntur à Deo. Prima ut sit cibus in domo domini. Sic enim per Malachiam Prophetam cap. 3. dominus ait: *Inferre omnem decimam in horreum meum ut sit cibus in domo mea, hoc est ad sustentationem eorum qui in domo mea sunt.* Juxta quod dictum fuerat in lege (*Num. 18.*) *Nihil aliud possidebunt decimarum oblatione contenti, quas in usus & eorum necessaria separavi.* Secunda causa est, ut serviant in templo, & orent Deum pro populo. Et hæc causa assignatur in libro Numerorum (*Ibidem*) *Viliis (inquit) Levi dedi omnes decimas pro ministerio quo serviunt*

mihî in tabernaculo fœderis, ut non accedant ultra filii Israel ad tabernaculum: solis filiis Levi in tabernaculo servientibus, & portantibus peccata populi. Cui consonat id quod Apostolus ait: (*1. Cor. 9.*) *Qui altario deserviunt, cum altario participant.* Tertia causa est, ut vacent legi Dei, & populum doceant. Quæ causa describitur in secundo libro Paralipomenon cap. 31. ubi dicitur: *Præcepit etiam habitantibus in Hierusalem, ut darent partem sacerdotibus & Levitis, ut possent vacare legi domini.* Cui consonat Paulus dicens: (*1. Cor. 9.*) *Si seminamus vobis spiritualia, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Quarta causa est pauperum egestas. Non enim propter solos ipsos sacerdotes decimæ illis redduntur, sed etiam propter pauperum necessitatem. Unde Augustinus ait: „Decimæ ex debent, & quanti pauperes in locis suis ubi ipse habitat, illo decimas non dante, mortui fuerint, tantorum hominum, micidiorum reus ante æterni judicis tribunal apparebit, quia rem à Deo pauperibus delegatam, suis usus reservavit. Hæc Augustinus. Ecce vides Deum sapissime præceptum de decimis solvendis repetere. Non sunt ergo puræ elemosynæ, cum illo jure debeantur. Quid ergo Pseudoapostoli & Vvicleph adversus Dei præceptum docere tentant? Sed dicunt Pseudoapostoli: Pauperes non sunt sacerdotes: habent unde alias vivant: non ergo eis debentur, quia jam panis sufficiens est in domo domini. Esto. Sed numquid hæc sola fuit causa ut decimæ illis darentur? Sed istis patrocinatur Vvicleph dicens, multi ex eis nec serviunt in templo, nec Deum pro peccatis populi orant, sed ipsi peiores populo sunt, nec ple-

beret.

sem sibi commissam docent: non est ergo cur illis decimæ perfolvantur. Concedimus plures è sacerdotibus tales esse: ut prorsus indigni sint sacerdotis nomine. Sed numquid propter solos sacerdotes decimæ perfolvantur eis? Pauperum enim egestatem ostendimus esse causam propter quam decimæ debeant perfolvi. Et propter hanc causam docent peritissimi theologorum, sacerdotes etiam alias abundantes in divitiis posse decimas recipere tantquam earum dispensatores, ut eas videlicet pauperibus distribuunt. Et qui hoc non faciunt, iniuste eas retinent. Sed esto, nec sacerdos qualis oportebat sit, nec decimas pauperibus dividat, numquid ideo quod illi iure deberetur, est illi denegandum? Hac enim lege fieret, ut cum quilibet etiam laicus necessaria victui, & vestitui haberet, si ultra hoc aliquis alius pecuniam quam murai lege, aut alicujus rei venditione illi debebat, illi denegeret, nolens debitum solvere, iuste hoc faciat; quoniam communis omnium sanctorum sententia est, ut qui ultra necessitatem sibi aliquid reservat, rapere dicatur. Ambrosius inquit, plus quam sumptui sufficit, violenter detentum est. Et Hieronymus ait: Aliena rapere convincitur qui ultra necessitatem sibi reservare probatur. Augustinus idem sapissime repetit. Iuste ergo, juxta Vviclephi, & Pseudopostolorum sententiam iste debitor posset negare debitum creditori superflua habenti, quia illa superflua iniuste habet. Verum abijt ut hoc concedamus, quia est male agit retinendo, iste non ideo bene agit debitum negando, quoniam non ad quemlibet spectat ut male agentem puniat. Ita etiam quamvis sacerdotes non recte officium sibi commissum exequantur, non tamen ideo plebs bene agit decimas illis denegando, quia non ad plebem spectat sacerdotum peccata punire, sed ad superiores, puta ad Episcopos, aut Archiepiscopos, aut Summum Pontificem, qui deberent sacerdotes male viventes officio, & beneficio privare, & in eorum locum alios bonos subrogare. Quod si non fecerint, relinquendi sunt iudicio divino puniendi. Nec opus est in hac re amplius morari, cum sit de hac re expressa definitio. Nam inter 45. articulos Joannis Vviclephi in Concilio Constantiensi condemnatos, is unus decimo octavo loco constituitur, sub his verbis: Decimæ sunt puræ elemosynæ, & parochiani possunt propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum auferre eas. Qui articulus simul cum aliis una super omnes laa sententia per Concilium Constantiense damnatur. Verum hic admonere volo lectorem, ut non existimet me sentire, ut ex præcepto divino sit nunc omnibus injunctum decimas sacerdotibus tribuere juxta veram, & præcisam decimæ partis assignationem. Quod ideo dico, quia est ab omnibus receptum sit aliquid deberi sacerdotibus offerri, & hoc non solum jure divino, verum etiam lege naturæ, tamen utrum id quod debetur, sit juxta veram decimæ taxationem comparandum, de hoc est controversia inter doctores: Canonists dicentibus etiam illam decimæ taxationem esse jure divino adhuc sacerdotibus debitam: Theologis vero dicentibus talem decimæ taxationem fuisse veteris legis ceremoniam, atque ideo fuisse per mortem Christi abrogatam, sicut & cæteræ veteris legis ceremoniæ. Quapropter dicunt aliquid deberi sacerdotibus de jure divino, & naturali: quod autem tale quid sit sumendum juxta veræ decimæ taxationem, illud dicunt esse nunc in lege Evangelica ex solo jure humano. De qua re impræsentiarum non est mentis meæ aliquid definire, quoniam non suscepti onus tractandi opiniones,

sed veram fidem contra hæreticos, contra quos satis esse arbitror ostendisse sacerdotibus decimas deberi ex præcepto divino, quod nemini transgredi licet. An autem talis decima sit vere decima totius pars, an non, parum refert: quia est præcepto divino non esset indicata, jure tamen pontificio præcipitur, cui omnes Christiani subesse tenentur.

D E U S.

Secretissima res est Deus, & quæ omnium intellectum maxime fugiat: adeo ut Propheta quidam fuerit coactus dicere: (Esaï. 45.) *Vere tu es Deus absconditus.* Nec mirum, quoniam (ut ait Paulus 1. Tim. 6.) *habitat locum inaccessibilem, quam nullus oculus ferre potest.* Hinc cum Dominus petransiret coram Propheta Helia, (3. Reg. 19.) & ante Dominum spiritus grandis, & fortis, subertens montes, & contrensus petras, Helias operuit vultum suum pallio, quia videlicet sciebat tantum divinæ majestatis splendorem humanos oculos ferre non posse. Nam si filius Israel non poterat intendere in faciem Moyfi (Exod. 34.) eo quod cum Domino in monte habuisset colloquium, quid putas faciet intellectus humanus, si intendere velit in faciem Dei, ut illum proprii ingenii acumine peneret? Certe necessarium est ut fiat quod Sapiens ait: (Prov. 25.) *Scrutator majestatis opprimetur à gloria.* Quapropter nulla est res, in cujus cognitione perfecta magis oportet captivare intellectum nostrum in obsequium Dei, quam ipsemet Deus, quoniam ad investigandum supremum illud unitatis, & trinitatis mysterium nullus intellectus fide destitutus sufficit. Hinc tot de hac re ortæ sunt hereses (omnio Gentilium, & Paganorum errores) quoniam suis viribus innitentes, de suo ingenio confisi, magis humanis argumentationibus quam fidei tribuerunt. Et ita factum est ut majestatem divinam perferuari volentes, oppressi sint à gloria, & in multas hereses lapsi sint. Quia ergo posuerunt in cælum os suum, & montem illum qui super omnes montes est tetigerunt: oportet ut lapidibus ora eorum obstruamus, juxta præceptum Domini dicentis: (Exod. 19.) *Omnis qui tetigerit montem, lapidabitur.* Ad has ergo hereses refellendas hoc ordine aggrediemur, ut primo illæ pertractentur, quæ ipsam divinitatem absolute sumptam respiciunt. Deinde illas discutiemus, quæ ad singulas divinas Personas spectant.

Prima ergo hæresis est quæ asserit plures Deos. Et hæc in plures factiones divisa est. Hoc enim hæreticis est commune, ut nunquam sibi consentiant. Quidam enim dixerunt duos esse Deos, unum bonum, à quo omnia bona; alterum malum, à quo omnia mala procedere dicebant. Hujus heresis primiauctores fuerunt qui Gnostici appellati sunt: de quibus jam alias diximus. Post istos Apelles quidam (de quo Eusebius lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, capite decimo tertio) eundem tutatus est errorem de duobus Diis, uno bono, altero malo, quamquam aliquantum in hoc à Gnosticis differret, qui ut Augustinus de hæresibus cap. 23. refert) non dixit illos duos Deos esse duo rerum principia, sed unum tantum dicit esse principium, Deum scilicet bonum, & ab illo factum alterum Deum, qui cum malignus esset, mundum in sua malignitate fecit. Hos Gnosticos post aliquot annos imitatus Manichæus, eundem docuit errorem, & sub hoc magis prævaluit, quam sub Gnosticis; adeo ut ab

illo nomen acceperit, & Manichæorum jam appelleretur. Verum hic Manichæus (ut commune est hæreticis qui sepultas jam hereses suscitant, & quo clariore appareant, insaniam augere procurant, ex suo cerebro non nihil addentes) ultra Gnosticos hoc dixit, duo videlicet scripturæ instrumenta à duobus illis Diis processisse. Testamentum vetus dicit esse factum à malo Deo: Testamentum autem novum à bono, & hunc conditorem novi Testamenti dicit esse Patrem Domini nostri Jesu Christi; non autem illum qui fecit vetus Testamentum. Hunc errorem post multa sæcula ab inferis revocarunt Albanenses. Hoc enim illis impingit Guido: & cathalogus hæreticorum idem tribuit Albigenisibus. Alii autem hæretici dixerunt duos esse Deos, sed non dixerunt unum bonum esse, alterum vero malum. Hujus erroris auctor fuit quidam nomine Cerdon, quamvis Philaster dicat Cerdonem sensitse duos Deos, unum bonum, & alterum malum. Beatus tamen Augustinus, lib. de Hæresibus, cap. 21. dicit Cerdonem posuisse duo principia sibi adversantia, & Deum Legis, ac Prophetarum non esse Patrem Christi, nec esse bonum, sed iustum: alium vero Deum esse Patrem Christi, & hunc esse bonum. Ecce ex Augustini sententia Cerdon non posuit aliquem Deum esse malum, quoniam dicit illum esse iustum, quamvis non sit bonus. Ut autem beati Augustini sententia confirmetur, in medium producimus Irenæum, multo verius Irenæum, & Philaster. Is enim Irenæus, lib. 1. Adversus Hæreses, cap. 18. de hoc Cerdone loquens, ita ait: „Et Cerdo autem quidam ab his, qui sunt erga Simonem occasionem accipiens, cum venisset Romam sub hoc Hygino, qui novum locum Episcopatus per successorem ab Apostolis habuit, docuit eum qui à Lege, & Prophetis annuntiatum sit Deus, non esse patrem Domini nostri Jesu Christi. Hunc enim cognosci, illum autem ignorari: & alterum, quidem iustum, alterum autem bonum esse. Hæc Irenæus. Ex cujus verbis nil tale habetur, ut Cerdon senserit duos esse Deos, quorum unus sit bonus, alter malus. Hunc Cerdonem secutus est Marcion Ponticus, Cerdonis discipulus. Eodem tempore quo fuit præfatus Cerdon (ut Irenæus, lib. 3. Adversus Hæreses, cap. 4. ait) extitit quidam hæreticus Valentinus nomine, qui cum Platonius esset (ut Tertullianus in libro de Hæresibus ait) Platonis sectam religioni Christianæ miscens, multa signenta fabulosa docuit. Is enim duo omnium rerum principia esse dixit, quæ appellavit profundum: & silentium: & profundum dicit esse patrem, & ex conjugio profundum, & silentii processisse intellectum, & veritatem, & protulisse in honorem patris æonas octo, id est, octo sæcula. De intellectu autem, & veritate processisse verbum, & vitam, & protulisse æonas decem. De verbo & vita processisse hominem, & Ecclesiam, & protulisse æonas duodecim; quæ omnes simul sunt triginta, id est, triginta sæcula. De trigesimo sæculo dicit diabolus genitum, & à diabolo alios natos qui fecerunt hunc mundum. Itaque omnia ait processisse ex illis duobus principiis, profundo videlicet, & silentio. Quæ omnia sunt mera signenta, & meræ fabule, quæ nulla profus ratione sulciri possunt, sed ex cerebro delirantis, aut somniantis hominis derivata. Has fabulas indoctas secuti sunt Secundus, à quo Secundiani: & Prolemæus quidam, & Marcus, hujus Valentini sectatores. Contra omnes hos hæreticos non est operum disputaret: eum apertissima sint scripturæ sacræ testimonia, quæ do-

cent unum tantum esse Deum: eumque esse summum bonum, à quo cuncta procedunt. In Deuteronomio, cap. 6. dicitur: *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Et in eodem libro iterum: (Ibid.) 27. *Videte quod ego sum solus, & non sit alius præter me.* Naaman ille à lepra animæ pariter, & corporis sanatus, ait: (4. Reg. 4.) *Vere scio quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel.* Propheta Regius, qui & ipse Israelita erat, dicit: (Ps. 17.) *Quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum? Et iterum: (Psalm. 85.) Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus.* Sapiens Salomon eandem etiam fidem docet: (Sap. 12.) *Nec enim (inquit) est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus.* Btatis etiam eandem fidem commendat, qui Deum describit ita loquentem: (Esaï. 45.) *Ego Dominus, & non est alius extra me non est Deus. Et in eodem loco: Ego Dominus, & non est alter. Et iterum ibidem: Ego Dominus, & non est alius. Et in eodem loco: Namquid non ego Dominus, & non est ultra Deus absque me? Eandem sententiam iterum ibidem repetit, dicens: Convertimini ad me, & salvæ eritis omnes fines terre, quia ego Deus, & non est alius. Sed quoniam & Cerdon, & Manichæus vetus testamentum non recipiunt: ut nulla illis ad fugam pateat via, testimoniis novi instrumenti illos confingere oportet. Paulus in priorè ad Corinthios epistola, cap. 8. sic ait: *Scimus quod nullus est Deus nisi unus. Nam est qui dicantur Dii, sive in cælo, sive in terra, siquidem sunt Dii multi, & domini multi: nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo.* Et in epistola ad Galatas, cap. 3. ait: *Mediator unus non est, Deus autem unus est.* Et alibi: (Eph. 4.) *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Omittit hic rationes philosophicas adducere, quoniam non disputamus adversus Gentiles, sed adversus eos qui Christo nomina in baptismo dederunt, & qui se Christianos jactant, cum nihil minus sint. Aristoteles sapissime demonstrare contendit unum tantum esse omnium rerum principium. Verum cum scripturæ sint adeo aperta, non est opus nostris argumentationibus. Quod ait Cerdon; Deum videlicet Legis, & Prophetarum non esse patrem Domini nostri Jesu Christi, cui subseribit Manichæus, addens Deum non testamenti non esse eum qui dedit & vetus. Hæc impietas unico Pauli verbo convincitur: (Heb. 1.) *Multi faciam (inquit) multaque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissime autem diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit & sæcula.* Quod si aliud adhuc testimonium requirit, aperiat os suum ille murus Zacharias, & dicat: (Luc. 1.) *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis sue.* Patet quod loquitur de patre Domini nostri Jesu Christi, quia non aliter visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ, nisi mittendo filium suum, ut salvaretur mundus per ipsum. De hoc ergo patre cum loquatur, addidit: *Sicut locutus est per os sanctorum qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* Ecce manifeste patet, Deum, qui locutus est per Prophetas, esse etiam locutum in novo testamento in Evangelistis, & fecisse redemptionem nostram per filium suum. Quod si tertium adhuc petunt testem, petamus & nos auxilium à beata Virgine Maria, ut pro nobis de hac re testimonium dicat: nec deerit petitioni nostræ. Illa siquidem magnificans Deum eo quod respectaverit humilitatem ancillæ suæ, & fecerit illi magna qui potens est, & alia multa quæ ad Patrem Domini nostri*

Iesu Christi necessario referenda sunt, tandem ait: (*Ibid.*) *Suscipit Israel puerum suum, recordatus misericordie suae: sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in secula.* Ille ergo Deus qui fecit nobiscum misericordiam: ille inquam locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius. Non est ergo alius veteris, alius novi testamenti Deus: nec alius qui locutus est per Prophetas, & alius qui est pater Domini nostri Iesu Christi. Verum hoc Paulus expressius docet, qui in epistola ad Romanos, cap. 3. ait: *Quoniam quidem unus est Deus qui iustificat circumcissionem ex fide, & præputium per fidem.* Quid ergo insanit Manichæus? Nonne in circumcissione vetus, & in præputio novum testamentum designatur? Sed jam videamus reliquum quod ajunt: unum videlicet ex duobus Diis quos ponant, malum esse. Quæ ulla umquam major potuit esse blasphemia? Quæ aures hoc ferre possunt, aut quis intellectus hoc cogitare potest, ut Deo malitiam impingat? Non possunt hæc ullo pacto coherere, ut Deus sit & malus: quoniam si Deus, necessario bonus est: & si bonus non est, Deus certe non est. His certe hæreticis apertissime convenit id quod Paulus de Gentibus loquens (*Rom. 1.*) ait: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obcuratum est insipienti cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Ecce qualiter isti impii, & blasphemii hæretici Deum glorificant, qui eum malum dicunt. Vide quales illi gratias reddunt, qui supremam illi malitiam impingunt. Cum ergo omnium cordibus à natura instrum sit, ut Deum esse bonum agnoscamus, pro re tam aperta piget testimonia scripturæ adferre: quoniam & si quis ea desideret, apertissima sunt: adeo ut ipsum Evangelium cui soli isti hæretici credunt, dicat: (*Luc. 8.*) *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Contra hos hæreticos non esset agendum argumentis, sed lapidibus, juxta præceptum Domini dicentis: (*Lev. 24.*) *Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Quis autem verius Deo maledicit, quam qui dicit Deum esse malum? Hic ergo lapidibus opprimendus venit à tota multitudo.

Secunda hæresis est quæ docet Deum esse corporeum. Hujus hæresis primus (ut existimo) auctor extitit Tertullianus. Quamquam hunc Tertullianum de hac re quodammodo excusat beatus Augustinus in libro de Hæresibus, capite octogesimo sexto, dicens non propter hoc dicendum esse hæreticum Tertullianum, quia potuit ita de Deo sentire, ut diceret eum esse corpus quoddam, non quidem tale quod partes habeat, quarum aliæ majores, aliæ minores existant, quod etiam loco sit circumscriptum, & certis limitibus conclusum: sed ideo potuit nominare corpus, quia videlicet non est inane, sed est aliquid, qui ubique totus est. Sed revera nescio antalis res quæ partes non habet congrue & apte posset vocari corpus. Verum beatus Augustinus mirissima usus censura excusavit quod potuit. Consideravit namque nullum esse acerbius, & gravius crimen quod Christiano possit obijci, quam crimen hæreseos: ideo antequam illud alicui impingamus, oportet prius rem anxie examinare, & lapidem ad solum reducere. Dicant ergo ab Augustino eximio fidei zelatore, hi qui tam leviter de hæresi pronuntiant, ne si forte quispiam docuerit aliquid, quod

ab eorum placitis, vel digito transverso discendat, statim

hæresim inclaiment, nullam prorsus hominis excusationem admittentes, etiam cum facile excusari potest. Cum ergo beatus Augustinus Tertullianum de hac re excuset, nolo ergo adversus eundem severior esse iudex. Malo enim (juxta beati Chrysostomi sententiam) de misericordia Deo rationem reddere, quam de crudelitate. Sed quamvis Tertullianus fuerit excusatus, non tamen ideo pugnare desinam adversus jam narratam hæresim, quoniam non adversus homines est nobis colloquatio, sed adversus hæreses, præcipue quod huic hæresi non desunt fautores, qui illam tutati sunt etiam absque Tertulliano. Fuerunt enim quidam hæretici appellati Vadiani, qui dixerunt Deum esse corporeum, & habere membra ut homines habent: moti ex eo quod sæpenu-mero in sacris litteris, potissimum in veteri instrumento, Deo membra tribuantur, & Adam factus esse dicitur ad imaginem, & similitudinem Dei: unde colligunt Deum habere membra quemadmodum Adam. Hi hæretici à suo errore nomen sortiti, vocati sunt Anthropomorphitæ, quia anthropos græce, idem est quod homo latine. Hæc autem hæresis orta est in partibus Ægypti tempore Damasi Papæ, & Theodosii senioris: contra quam scripsit, & eam confutavit (ut dicitur in Historia Tripartita, libro decimo, capite septimo) Theophilus Alexandrinus Episcopus, Frater Bernardus de Lutemburgo in suo catalogo hæreticorum dicit hanc hæresim cepisse sub Agapeto Papa, & Berengario Imperatore. Et constat eum loqui de Agapeto, hujus nominis secundo, quoniam Agapetus hujus nominis primus (ut Platina refert) fuit sub Justiniano Imperatore, ad quem videndum è Roma usque ad Constantinopolim accessit, ubi & mortuus est. Oportet ergo ut is Agapetus, de quo catalogus loquitur, sit secundus. A Damaso autem, sub quo pestis hæc orta est, usque ad Agapetum fere sexcenti anni intercessere: quapropter nescio apud quem legerit eam cepisse sub Agapeto, & Berengario. Et quod magis miror, in eodem loco de eisdem Anthropomorphitis loquens, postquam dixerat eam cepisse sub Agapeto, & Berengario, subjunxit quod Theophilus Alexandrinus condemnavit hæresim Anthropomorphitarum: pro cuius rei confirmatione adfert testimonium ex collationibus Cæsianis. Et certe hæc duo minime coherere possunt, ut hæresis cœperit sub Agapeto, & eam Theophilus Alexandrinus condemnaverit, & sic sentientes disputatione confuderit: quoniam à Theophilo Alexandrino, de quo Cæsianus mentionem facit, usque ad Agapetum Papam secundum fere sexcenti elapsi sunt anni, & usque ad Agapetum primum fere trecenti anni, quoniam Theophilus iste (ut patet ex Historia Tripartita, libro decimo, cap. 10.) tempore Damasi Papæ fuit. Nam ad eum misit Iudorum quemdam Episcopum legatum. Unde conjicere licet fratrem Bernardum de Lutemburgo ex centonibus pluribus male confutis illud opus constasse, nulla rerum conjectura facta. Apud unum auctorem forte legerat hanc hæresim sub Agapeto incepisse, & nihil amplius ibi legit. Apud Cæsianum legit aliud, videlicet quod Theophilus eam disputatione convicerit. Et iste illa duo non considerans, an simul coherere possent, in unum conjunxit. Quid quod rerum consonantia omissa, facillimum erat deprehendi ab homine versato inter eruditos auctores, falsum esse quod sub Agapeto inceperit? quoniam præter id quod Historia Tripartita refert, Augustinus, qui utrumque Agapetum pet

aliquot sæcula præcessit, in libro de hæresibus, capite 50. hujus hæresis meminit sub nomine etiam Anthropomorphitarum. Hæc coactus sum digito ostendere, partim amore veritatis allectus, partim calore iracundie accensus: cum videam quosdam adeo futiles, & profusos in pronuntiando, & in scribendo, & in quicquid legerint, etiam apud quemcumque, nulla facta rerum indagine, statim transcribant, & coram tota multitudine magna cum fiducia pronuntiant, satis sibi esse putantes quod apud alium quempiam legerint. Hæc ergo Anthropomorphitarum sententia aperte hæreseos convincitur. Si Deus corporeus est, & figuram habet humanam, & membra, & partes ut homo, oportet ut finitus sit, & certis limitibus concludatur, quoniam id quod infinitum est, nullius potest esse figuræ, cum ad figuram perficiendam necessario requiratur ut termino, vel terminis claudatur. At Deus qui infinitus est, nullo potest limite concludi: ergo nec figuram habere, nec loco claudi. *Excelsus est enim celo* (ut est apud Job cap. 22.) *& super stellarum verticem collocatur.* Et Propheta ait Psalm. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Quod si magnitudinis ejus nullus est finis, nulla etiam illius erit figura. Præterea si corporeus est Deus, & membra ut homo habet, sequitur quod non sit totus ubique, sed pars ejus in uno loco, & pars alia in alio loco, & ita erit per partes in loca divisa, quod summæ illius perfectioni maxime obviat. Rursum, oportet etiam in Deo fateri compositionem, & dicere ea quæ in Deo sunt, non esse omnia infinitæ perfectionis, quoniam quælibet illarum partium ex quibus componitur, minor est suo toto: & ita non æque perfecta ut totum: quapropter necessario erit finita, quoniam quod infinitum est, excedi non potest. Multa alia similia possunt fieri argumenta sumpta ex imperfectionibus quæ corporibus adjacent: sed ea prolixitate evitans, omitto, quoniam sine illis est sacra scriptura apertissimum habemus testimonium. Ipsa enim veritas apud Joannem, cap. 4. ait: *Spiritus est Deus.* Si spiritus est Deus: ergo non est corporeus, & membra humana habens, quoniam eadem veritas apud Lucam ait, cap. ult. *Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quod autem Anthropomorphitæ pro se adferunt, parum momenti habet, & ex prava scripturæ intelligentia procedit. Quamvis enim scriptura sacra sæpe nominet Dei membra, ut puta caput, oculus, linguam, aures, manus, brachia, & his similia: non tamen sunt illa juxta litteram sumenda, sed juxta mysterium latens per res illas designatum. Sunt enim pleraque in sacris codicibus, maxime in veteri instrumento, quod carnali populo, & adhuc rudidatum est, quæ nullo modo juxta litteræ primam significationem accipienda sunt, nec accipi possunt, sed in illis quid res ipsa per litteram significata ulterius portendant, aspiciendum est. Res namque ipsæ sæpe etiam significant, & aliquid ingerunt sensibus æque ut voces. Quod in omnibus metaphoricis locutionibus contingere est manifestum, in quibus propter similitudinem inter aliquid repertram, unum alterius nomine appellatur, ut si voracem lupum dixeris, aut avarum talpam: non quod hæc sint, sed illa quibus similia esse reperiantur. Ad eundem modum oportet multa in sacris litteris interpretari, & non secundum primam vocum significationem, testante Apostolo (1. Cor. 3.) *quod littera occidit, spiritus autem vivificat.* E quibus multis hoc unquam, & præcipuum est, quælibetcumque

Deo aliquot membrum, aut aliqua effigies tribuitur, tunc membro audito intelligas illo nomine Deo tribuere vim illam, & virtutem quæ perfectior in illo membro reperitur: ut cum audis in Deo caput, intellige divinam essentiam, quæ omnia præcedit. Et cum dicitur caput respectu corporis mystici, quod est Ecclesia: intellige influxum in reliqua membra quæ nos fumus. Cum audis oculos, intellige virtutem videndi talem, ut nihil eum latere possit. Sic enim ait Apostolus: (*Heb. 4.*) *Nulla creatura ei invisibilis est, omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Aures habere dicitur, quia talis est in eo vis, ut verbum quantumlibet submisisset, latere eum non possit, de quo Sapiens ait: (*Sapient. 1.*) *Auris cæli audit omnia, & tumultus murmurationis non absconditur.* Quod si in hanc expositionem, hi hæretici non flecuntur, sed omnia contendunt juxta litteræ primam significationem intelligi debere, cogentur fateri Deum esse monstrum quoddam, immo tale aliquid quod nihil sit, cum aliquando nominetur leo, alias vermis, alias locustæ. Unde manifeste convincitur hæc non esse accipienda juxta primam litteræ significationem, sed juxta id quod res ipsæ per illas voces designatæ significant. De quorum omnium mystica significatione extat liber beati Anselmi, cui titulus est: *De membris Deo attributis*: in quo exponit quid singula membra Deo attributa significant. Est etiam de eadem re alius tractatus sub nomine Hieronymi inscriptus, quem velut nothum, & beatum Hieronymum minime redolentem, vir doctissimus Erasmus Roterodamus, in quarto tomo operum illius collocavit, in quem locum rejecit omnia quæ hucusque falso scripta erant Hieronymo. Contra hos Anthropomorphitas scripsit Theophilus Alexandrinus, cujus proxime fecimus mentionem. Scribere etiam (ut testatur Joannes Trithemius in suo Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum) Faustus Episcopus Regiensis, & RATHERIUS Monachus, sed nullum istorum operum vidi.

Tertia est hæresis, quæ potius dicenda est blasphemia, asserens Deum esse mendacem. Hæc est Armenorum hæresis, quemadmodum illis impingit Guido. Dicunt enim Deum dixisse Cain, quod à nullo homine occideretur; & tamen (ut ipsi ajunt) Cain occidit seipsum, & ita convincunt Deum dixisse falsum, cum ab homine fuerit occisus. Et certe (ut ingenue fatear) vix possum credere, etiam si Guido testatur, quod Armeni in tam gravem errorem sint lapsi, ut Deum esse mendacem fateantur, quoniam hoc non potest in sensum hominis cadere, ut veritatem dicat esse mendacium, præcipue cum Armeni, etiam hæretici sint, scripturas tamen sacras non rejiciant. Nam hoc nunquam illis impingit Guido. Si ergo scripturas sacras recipiunt, quomodo poterunt dicere Deum esse mendacem, cum ipsæ scripturæ toties Deum prædicent veracissimum? *Non enim* (inquit scriptura Num. 23.) *est Deus quasi homo, ut mentiar.* Et Propheta Hieremias, cap. 10. ait: *Dominus autem Deus verus est.* Et ipsemet Deus ait: (*Joann. 10.*) *Ego sum via, veritas, & vita.* Si ergo veritas est, quomodo mentiri poterit? Certe non magis quam frigus calefacere, aut nigredo albefacere. Præterea quomodo Deus mentiri posset, qui tantum abominatur peccatum? qui toties homines à mendacio deterret, tamquam à vitio pessimo? *Abominatio est Domino* (inquit Sapiens, Prov. 12.) *habia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei.* Et alibi. (*Sapient. 1.*) *Os quod mentitur, occidit animam.* Rursum, si Deus semel mendacii convincitur, restat ut nunquam et

in posterum credatur. Hoc est enim, teste Aristotele, mendacis hominis præmium, ut illi veritatem dicenti non credatur. Quod si Deo non est credendum, perhibet omnis lex, omnis convictus: nulla erit fides. Et non est certe quod de hac re amplius contendamus, cum sit tam aperta dementia, ut quisvis etiam infidelis, & paganus eam agnoscat. Non est enim natio tam barbara, quæ non horreat mendacium. Quæ de Cain adferunt non reperiuntur in sacris litteris. Scriptura enim sacra non dicit Cain seipsum occidisse, immo nec ullam mortis illius facit mentionem, quamvis aliqui doctores opinentur Cain fuisse virum illum, quem Lamech credens esse feram, occidit. Cæterum etsi scriptura dixisset, Cain fuisse occisum à Lamech, aut seipsum præcipiasset, non ideo Deus arguendus erat mendacii, quia Deus non dixerat quod Cain non esset occidendus ab aliquo homine, sed dixit: (Gen. 4.) *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Quibus verbis solum prohibuit omni homini occisionem Cain: non tamen negavit eam futuram.

Quarta hæresis minuit Dei omnipotentiam. Nam Petrus Abailardus (ut illi impingit beatus Thomas) dicit, quod Deus non potest facere res aliter quam facit, quapropter dixit omnia de necessitate absoluta evenire. Sed de hoc errore inferius disputabimus cum de futuro contingenti agemus.

Quinta hæresis est quæ negat in divinis personarum numerum. Hujus hæresis auctor fuit Noetus quidam, à quo Noetiani dicti sunt. De hoc Noeto beatus Epiphanius differens in libro octoginta hæresum, hæresi 57. ita ait: Alius post Bardesanem, Noetus nomine surrexit, non ante multos annos, sed ante hoc nostrum tempus centum triginta plus minus annis, Antiochus urbis Ephesi existens, qui alieno spiritu ductus, voluit à seipso, quæ neque Prophetæ, neque Apostoli, neque Ecclesia ab initio obtinuit, neque cogitavit, dicere, ac docere. Hic à seipso insanie elationibus elatus, ausus est dicere patrem passum esse. Insuperque ad majorem fastum, ac dementia delatus, seipsum dixit, Moysen, & fratrem suum Aaron. Et aliquibus interjectis, addidit: Moritur autem idem paulo post unam cum proprio fratre, non velut Moyses in gloria: neque ipsius frater Aaron ille sepultus est in honore. Abiectionem enim sunt velut transgressores, & nemo ex piis ipsos cooperuit. Postea vero sequaces ejus mente corrupti, corroborarunt hoc dogma, per ea subducti quibus etiam præceptor ipsorum ab initio. Hæc Epiphanius. Hanc sequutus est Sabellius ejusdem Noeti (ut Philaster ait), discipulus à quo Sabellio, Sabelliani dicti sunt, & sub hoc nomine nota est magis hæc hæresis, quam sub nomine Noeti. Orta est hæc pestis apud Ptolemaidem Aegypti, sub Galieno Imperatore, & Sixto Papa, hujus nominis secundo. Hi ergo dixerunt in divinis unam tantum esse personam: diversis tamen nominibus nominatam. Ex quo fonte corrupto hunc etiam vitiorum rivulum deducunt, patrem videlicet esse passum, quemadmodum & filium: quod fatari fuit illis necessarium, cum dicerent patrem, & filium eandem esse personam. Et ita ab hac doctrina nomen sortiti, vocati sunt Patripassiani: quia patrem passum esse docebant. Eandem errorem (ut Augustinus ait libro de Hæresibus, cap. 70.) docuit postea Priscillianus. Istorum hæresis inde orta est (ut ait Eusebius Cæsariensis, 10. lib. Historiæ Ecclesiastice, cap. 29.) quod nescierunt distinguere inter essentiam, & personam: vel (ut verbis Eusebii utar) inter

substantiam, & subsistentiam: cum tamen latum sit inter illa discrimen. Substantia quidem, aut essentia, aut natura, quo vocabulo theologi scholastici magis utuntur, est commune aliquid pluribus singularibus in quo individua singularia conveniunt, & quod totum cuiuslibet singularis perfectionem explicat. Persona vero est singulari quoddam, unumque numero, mente, & ratione præditam, à cæteris ejusdem naturæ individuis singulari proprietate discretum: ut cum dicis hominem in communi, naturam explicas humanam omnibus hominibus communem: communem dico, non re, sed sola vocis dictione, cum vero dicis Petrum, Joannem, Franciscum, personas nominas, in qua nulla natura humana conveniunt. Conveniunt inquam sola (ut dixi) vocis dictione; quia quilibet eorum dicitur, & est verus homo. Aut si mavis, conveniunt in definitione explicante rei perfectionem, quæ in quolibet singulari reperitur. In Deo ergo substantia, aut essentia est ipsa Deitatis natura, quæ totam Deitatis perfectionem dicit: Persona vero, est singulari quoddam in quo Deitas existit, ab alio singulari realiter separatam, realiter inquam non per naturam, sed per proprietatem personalem, ut cum dicimus Deum, substantiam explicamus naturæ divinæ omnibus personis communem. Communem inquam non (ut diximus de homine) sola vocis dictione, sed vere, & realiter communem. Cum vero dicimus Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum, unum singulare, aut unam personam dicimus, in qua Deitas subsistit. Cum ergo hoc trinitatis, & unitatis mysterium tam altum sit, ut humanum, & angelicum superet intellectum, hic oportet captivare intellectum nostrum in obsequium fidei. Quapropter superfluum est, immo ridiculum, rationibus, & argumentis hoc agere, sed solis scripturarum testimoniis, ex quibus aperte demonstrabimus, Deo dæce, ejusdem Dei unitatem, & personarum trinitatem. In libro Genesis, descripta omnium aliarum creaturarum productione, cum de homine creando Deus decernit, sic dicit, cap. 1. *Et vidit Deus quod esset bonum, & ait. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præstet, &c.* Et paucis interpositis subjungit: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam.* His verbis, & divinitatis unitas, & personarum pluralitas aperte ostenditur. Sic enim dicit: *Vidit Deus quod esset bonum, & ait: Faciamus hominem, &c.* Cum vero post nomen singularis numeri quale est Deus, subjungit verbum pluralis numeri, videlicet *faciamus*, declaravit pluralitatem personarum: quoniam si una tantum esset persona, non dixisset in plurali numero, *faciamus*. Deinde etiam mysterio non caret id quod sequitur. Dicens enim, *faciamus* in plurali, addidit imaginem, & non imagines: ad similitudinem dixit, non ad similitudines, per hoc innuens quod etsi pluralitatem personarum denotaverit plurali numero loquens, non tamen per hoc credendum esse in Deo esse plura exemplaria, sed unum tantum, ad cuius imaginem, & similitudinem homo factus est. Addens in super, nostram, iterum pluralitatem personarum ostendere voluit, ut responderet verbo *faciamus*. Si enim tantum una esset persona, ut Sabellius mentitus est, meam dixisset, non nostram. Præterea in eodem libro, cum de subversione Sodomæ, & Gomorthæ agitur, sic dicitur, cap. 19. *Igitur dominus pluit super Sodomam, & Gomortham sulphur, & ignem à Domino de celo, & subvertit civitates has.* Si tantum est una persona in divinis, quis est hic Dominus qui pluit à Domino? Cum enim dixit,

Dominus à Domino, filium ostendit, per quem (ut ait Joannes Evangelista cap. 1.) *facta sunt omnia*: qui & à domino pluere dicitur, quia à quo habet esse, ab illo habet & operari. Dicens ergo, dominus à domino, patrem & filium ostendit. Dominus enim filius est, & à domino, quoniam à patre genitus. Pater autem dominus est, sed non à domino, quoniam ingenitus est. Rursum, Propheeta Regius de Christo loquens (Psalm. 2.) vocem patris ad Christum dictam refert in hunc modum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et iterum idem: (Psalm. 109.) *Ex utero ante luciferum genui te.* Quæ verba Apostolus Paulus de Christo filio Dei esse dicta testatur, qui de Christo loquens in hunc modum, ait: (Heb. 2.) *Cui enim dixit aliquando Angelorum, ego hodie genui te.* Non est autem possibile ut idem gignat seipsum ut sit: nec intellectionis hominis potest hoc capere, ut idem sit pater sui ipsius, & filius sui ipsius. Alius est ergo qui gignit, & alius qui genitus est: alius pater, alius filius. Deinde ipsa summa veritas sapientissime hanc docuit veritatem. Nam obijcientibus illi Phariseis quod de seipso testimonium diceret, ac propterea testimonium illius non esset verum, respondit: (Joann. 8.) *Et si iudico ego, iudicium meum verum est: quia solus non sum, sed ego, & qui misit me pater.* Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. (Deut. 17.) *Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater.* Nihil certe apertius quicquam dici poterat contra Sabellium. Si enim pater & filius una est persona (ut Sabellius somniavit) filius solus esse dicitur, etiam si cum illo sit pater: quemadmodum dicerem solum Tullium scripsisse Tullianas questiones, etiam si Cicero scripserit eas, quoniam Tullius & Cicero una est persona, quamvis diversa sunt nomina. Quod vero sequitur, apertius adhuc est. Volens enim probare testimonium suum esse verum, citavit pro se legem dicentem, duorum hominum testimonium esse verum. Cum ergo ipse & pater illud testimonium perhiberent, oportet ut illud sit verum. Ecce quo argumento Phariseos convincit. Si vero pater & filius una esset persona, male argumentaretur, nec bene pro se legem citaret: quia lex testimonium duorum probat, non testimonium unius. Oportet ergo ut pater & filius duæ sint personæ, si Christi argumentum aliquid est valoris. Et iterum ipsamet veritas eisdem Judæis ait: (Joan. 10.) *Ego & pater unum sumus.* Dicens sumus in plurali, manifeste declaravit se & patrem duas esse personas: quoniam aliqui sum diciturus erat, non sumus. Dicens vero, unum sumus, declaravit earundem personarum unam esse deitatem. Et iterum ad patrem orans eadem veritas ait: (Joan. 17.) *Hæc esse vita eterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Quorum verborum sensus non est, Deum Patrem esse solum verum Deum, ut à deitate excludamus Christum, quoniam jam supra cum de persona Christi ageremus, probavimus contra alios hæreticos Christum esse verum Deum. Sensus est ergo, ut cognoscant te, & quem misisti Jesum Christum, esse solum verum Deum. Cum ergo patrem & Jesum Christum conjunctione copulativa numerasset, eos dixit esse verum Deum. Ex quibus verbis etiam & personarum pluralitas, & divinitatis unitas manifestatur. Verum etsi hæc scripturæ testimonia efficaciter sint ad probandum personarum pluralitatem cum deitatis unitate, non tamen ostendunt veram Trinitatem, quoniam ex illo dicto, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, convincitur plures esse perso-

nas, non tamen convincitur esse tres. Ut autem hoc convincamus, alia oportet adferre testimonia. Et primo illud est omnium efficacissimum, quamvis sub quadam figura latens, quod Abrahæ ad illicem Mambra sedenti contigit: (Gen. 8.) *Cum enim elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum. Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adoravit in terra, & dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, &c.* Vides hic tres primum apparuisse, & tribus Abraham loquens quasi uni, ait: *Domine*, quo verbo & personarum trinitas, & divinitatis unitas declaratur: quoniam etsi certum sit illos tres Angelos fuisse, tamen Abraham non tam ad Angelos, quam ad illum cuius imaginem illi gerebant, verba sua dirigens, ait: *Domine si inveni gratiam in oculis tuis, &c.* David etiam Propheta & Rex, ut ostenderet Deum trinum in unitate, ait: (Psalm. 66.) *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terre.* Cum enim ter Deum nominasset, ne forte inde occasionem aliquis caperet suspicandi tres esse Deos, relationem postmodum faciens, in singulari numero dixit: *metuant eum omnes fines terre.* Ter enim nominans Deum tres declaravit personas. Addens autem, & metuant eum, &c. declaravit omnes tres unum esse Deum. Esaias etiam exprimens voces Seraphim laudantium Deum, ait cap. 9. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Sed ne ex eo quod ter sanctus dixerat, unitatem divinæ substantiæ scissam esse aut divisam aliquis suspicaretur, C. subjungit, dominus Deus sabaoth. Cum ergo ter sanctus dixit, trinitatem personarum ostendit. Addens autem postea, dominus Deus, in singulari, ejusdem trinitatis unitatem declaravit. Ipsa etiam veritas, Christus videlicet redemptor noster, cum te divinus jam surrexerat, ascendens in caelum, apostolis ait: (Math. 28.) *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ecce hic vides omnes tres personas propriis nominibus appellatas. Sed cum omnes tres nominaret, in nomine dixit, non in nominibus, ut per hoc ostenderet omnes tres unum esse Deum, & unam habere Deitatis substantiam, Beatus Joannes in sua canonica epistola cap. 5. hanc rem apertissime docet: *Tres sunt (inquit) qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hæres unum sunt.* Hoc autem testimonium adeo est clarum, ut nulla possit tergiversatione cessari. Ibi enim audis tres, & unum. Tres contra Sabellium, unum contra Arrium: quemadmodum postea dicemus. Paulus quoque ut indivisam Sanctæ Trinitatis operationem ostenderet, ait: (Rom. 11.) *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.* Cum enim ter ipsum explicuit, personarum trinitatem manifestavit. Sed addens postea, ipsi, & non ipsis, ostendit illas tres personas unum esse. Et alibi: (1. Cor. 13.) *Gratia domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis.* E. Vide ibi tres expresse personas nominatas, quamquam ibi non daretur earundem unitas. Sed præsentis proposito satis est hoc, quoniam nunc contra Sabellium agimus negantem in divinis plures esse personas. Postremo Joannes in Apocalypsi cap. 4. postquam descriperat, illa præclara quatuor animalia, de illis adhuc loquens, ait: *Et requiem non habebat die ac nocte dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Quæ verba simillima sunt illis quæ ex Esaiâ proxime citavimus. Cum ergo tot sint de hac re clarissima scripturæ sacræ testimonia, non est quod aliquis

Sabellio deliranti credat: sed captivet unusquisque intellectum suum in obsequium hujus fidei, credens Deum esse trinum & unum, trinum in personis, & unum in essentia. Si enim sola ratione humana hoc mysterium perscrutari aliquis voluerit, opprimetur à gloria tanti mysterii. Huic enim dictum esse videtur illud Cantoricorum cap. 6. *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Quia quanto magis nitimur ad hoc mysterium sola ratione investigandum, tanto minus cognoscimus, & ob hoc ipsum Deum à nobis avolare facimus. Hanc hæresim damnat Leo Papa hujus nominis primus. Nam epistola septuagesima prima, quæ est ad Astorigensem Episcopum, in qua Priscillianistarum errores rejicit, sic ait: „Primo itaque capitulo demonstratur quam impie sentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam atque eadem asserunt esse personam, tamquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominetur: nec alius sit qui genuit, alius generatus est, alius qui de utroque processit: sed singularis unitas in tribus quidem vocabulis, sed non tribus sit accipienda personis. Quod blasphemiam genus de Sabellii opinione sumpserunt, cujus discipuli etiam Patripassiani merito nuncupantur: quia si ipse est filius qui & pater, crux filii, patris est passio: & quicquid in forma servi filius patri obediendo sustinuit, totum in se pater ipse suscepit. Quod catholicæ fidei sine ambiguitate contrarium est, quæ trinitatem unitatis sic *omnison* confiteretur, ut Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat æquales.“ Hæc Leo Papa, vir præter Pontificalem dignitatem sanctus simul & doctus. De hac re scripsit divus Hylarius Pictavorum Episcopus in duodecim libris de trinitate, in quibus contra omnes hæreticos de ea male sentientes disputat: quamvis præcipue agat contra Arrium. Scripsit beatus Augustinus quindecim libros de trinitate, in quibus multo clarior & expressius quam Hylarius rem ipsam pertractat. Scripsit etiam iterum de trinitate & unitate Dei librum unum, Richardus de Sancto Victore, post istos, eorum dicta & præcipue Augustini perstringens, quodammodo exponens, composuit sex libros de Trinitate. Speciale autem scriptorem, qui contra Sabellium solum de hac scripserit, hucusque non vidi.

Sexta hæresis est circa personam divinarum æqualitatem, quoniam etiam plures fateatur personas in divina natura subsistentes, eas tamen dicit esse inæquales. Prius ergo de filii persona pertractemus, deinde de Spiritu Sancto dicemus: De persona ergo filii est una hæresis, quæ dicit filium esse minorem patre, neque est ejusdem substantiæ cum patre, sed esse meram creaturam. Hujus blasphemiam auctor primus (quod sciam) fuit Arrius quidam presbyter Alexandrinus, tempore Constantini majoris, & Sylvæstri Papæ: cujus rei historiam qui plene scire desiderat, legat decimum librum historiæ scholasticæ per Rufinum additum, & primum librum historiæ tripartitæ, à capite duodecimo usque in finem. Verum aliqui sunt qui hunc errorem impingunt Origeni, qui plusquam per centum annos præcessit Arrium: à quo Origene Arrium hausisse ferunt. Beatus enim Augustinus in libro de hæresibus capite quadragesimo tertio de Origene loquens, sic ait: Dicit præterea ipse Origene, quod filius Dei factus hominibus comparatus, veritas sit: patri collatus, mendacius: & quantum distat Apostoli à Christo, tantum filius à patre: Unde nec orandum est filius cum patre,

quia non est auctor indulgentiarum petitionum, sed supplicator. Hæc de Origene Augustinus. Hoc etiam impingit Origeni Theophilus Alexandrinus Episcopus in suo Paschali per beatum Hieronymum è græco in latinum traducto, qui libro 2. ejusdem paschalis dicit Origene docuisse filium non esse orandum, neque cum filio patrem. Epiphanius in quadam epistola ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum, quam Hieronymus latinam fecit, ait: Origenem fuisse patrem Arrii, innuere volens Arrii doctrinam ab Origene fuisse deductam. Ad hunc eundem errorem accedit proxime Metangismonitarum hæresis. Hi enim dicebant (ut Augustinus libro de hæresibus, capite quinquagesimo octavo ait) sic filium minorem patre facientes. Et ita à doctrina sua nomen acceperunt, Metangismonitæ vocati, angion græce vas dicitur latine, *Metangismonis* dictio composita idem est quod infusio unius vasis in aliud. Inde Metangismonitæ, id est, (si ita licet loqui) transfusantes vel infusantes. Quis autem fuerit istorum dux, & princeps, Augustinus subicit. Hujus hæresis tot exitere post Arrium auctores, ut longum esset & difficile omnes enumerare. Nulla enim fuit unquam hæresis quæ tantum invaluerit, quoniam valde diffusa, longo tempore duravit. Ab ortu siquidem solis & meridie, videlicet ab Egypto veniens, per Græciam transivit in Aquilonem, & inde Gothi egressi totum pene occidentem hoc veneno infecerunt, quoniam illi Arrianis maxime favebant. Duravit autem hæc pestis fere per trecentos annos, aut forte amplius. Nam Hispaniam hoc morbo laborasse tempore Gregorii Papæ, ipsomet Gregorio narrante cognovimus: qui tertio libro dialogorum cap. 31. refert Ermigildum primogenitum filium Leovigildi Regis Hispaniarum, qui à Gothis originem duxerat, & Arrianus erat, fuisse ad veram fidem à Leandro Ispaniensi Archiepiscopo conversum. Qui Ermigildus ob hoc à patre in vincula & carcerem conjectus, cum in die paschalis à quodam Episcopo Arriano Eucharistiam sumere nolet, ex mandato patris interfectus est, & verus Dei martyr effectus: Mortuo patre successit illi alius filius secundus nomine Recharedus, qui & ipse Arrianus erat: sed hic mortuo patre à Leandro conversus est ad fidem catholicam, quemadmodum & frater ejus Ermigildus. Hic Recharedus paulatim omnes Arrianos ejecit ab Hispaniæ: nec permisit unquam aliquem sub eo militare qui Arrianus esset. A Constantino autem, sub quo Arrius insanire cœpit, usque ad Recharedum fere ter centum anni interjecti sunt. Hæc narravi ut videatur quanto tempore hæc pestis Ecclesiam vexaverit. Cujus hæresis fautores, etsi non omnes, enumerabo tamen præcipuos, eos videlicet qui famosiores fuerunt. Post Arrium successit in eadem secta Aetius quidam, post Aetium Eunomius alter: post istos Acatius eodem fere tempore. Hi tres videlicet Aetius, Eunomius, Acatius, tempore Constantii Imperatoris filii Constantini majoris, fuerunt. Qui autem plura de illis nosse cupit, legat quintum librum historiæ tripartitæ. Varimandus quidam, contra quem scripsit Idarius Clarus Hispanus. Maximinus Episcopus, contra quem Augustinus scripsit, & publice disputavit, quæ disputatio habetur in sexto tomo operum Augustini in impressione Parisiensis. Felicianus alius, cum quo disputavit publice idem pater Augustinus, quæ disputatio habetur in eodem tomo operum Augustini. Pascensius quidam Comes, cum quo etiam disputavit idem pater, & ad quem pro hac re aliquot misit epistolas, quæ disputatio reperitur inter epistolas Augustini, epist. 178. Securus est

Petrus Abailardus etiam hunc errorem, quoniam (ut illi impingit beatus Bernardus episc. 190.) posuit gradus in trinitate, dicens personas esse inæquales: qui etsi verbis voluerit differre ab Arrio, re tamen assentit illi. Fuere alii multo plures, quod Arrianam hæresim tutati sunt, sed hi fuere clariores. Hæc hæresis ex his quæ jam alibi diximus, facile convinci potest. Superius quidem cum de Christi persona ageremus, ostendimus ex scripturis Christum filium Dei esse verum Deum. Ostendimus etiam in hujus tituli, quem modo pertractamus, hæresi prima, tantum esse unum Deum. Aut ergo Christus filius Dei non est Deus, aut si est Deus, oportet ut sit unus cum patre Deus, quoniam ipse Deus pater per Esaiam Prophetam loquens cap. 43. ait: *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Ego sum, ego sum dominus, & absque me non est Salvator.* Si ergo ante Deum patrem non fuit alius Deus, nec post illum (ut ille ait) erat alter: ergo filius non est Deus. Quod si Deus est, oportet ut sit ille idem Deus, qui pater; quia nec ante nec post ipsum est alius Deus. Præterea si filius est Deus, quomodo potest pater filium aliquo tempore præcedere (ut ait Arrius) cum dicat Deus pater, post me non erit alius Deus? Si filius est Deus: ergo patri coæternus. Nam si patri non est coæternus, sed posterior patre: ergo non est Deus: quia pater ait: (Esa. 45.) *Post me non erit alius Deus.* Vides quibus angustiis premitur Arrius, dicens filium minorem patre, nec ejusdem substantiæ cum eo, nec coæternum patri, sed posteriorem patre, & ab eo creatum. Hæc enim dicens, cogitur negare filium Dei esse Deum, aut si fatetur esse Deum, cogitur ponere duos Deos, cum dicat illum non esse eundem Deum qui & pater, sed alium. Si ergo pater est unus Deus, & filius alter Deus, jam duo erunt Dei. Sed contradicit pater dicens: Ego dominus, & non est amplius. Extra me non est Deus. Si filius est Deus, & non de substantia patris (ut ait Arrius) jam extra patrem esset Deus. Et certa tam efficax mihi videtur hæc argumentatio, ut quemlibet Arrianorum convincat. Sic enim eum concludit, ut nulla rimula pateat illi qua elabi possit. Nihilominus tamen plura adversus eum citabimus testimonia. Joannes namque Evangelista de filio Dei loquens cap. 1. ait: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Aut ergo filius Dei nihil est, aut factus non est. Quod si aliquid est, & factus est, ut Arrius fatetur: ergo per verbum Dei, hoc est per filium factus est: ergo filius Dei per se ipsum factus est, & ita erat antequam fieret. Quæ omnia de nulla re ullus intellectus capere potest, tantum abest ut de filio Dei vere dicantur. Rursum, si filius Dei est: ergo æqualis patri, & ejusdem naturæ cum eo, quoniam non est alter possibile ut filius sit, qui non est de substantia patris. Non est enim possibile ut filius hominis sit, qui non est de substantia patris. Non est enim possibile ut filius hominis sit, qui non sit homo: multo ergo minus filius erit Dei, qui non est Deus. Si Deus: aut ergo idem Deus cum patre, & est quod fides catholica docet: aut alter Deus, & tunc erunt plures Dei. Non est etiam possibile ut filius hominis sit, qui non est de substantia hominis generatus: sic ergo non erit possibile ut filius Dei sit, qui non est de substantia divina generatus. Quod si ex eadem substantia patris generatus est, & Deus est ut pater, oportet ut æqualis sit patri, alioquin nec de substantia patris erit, nec Deus erit. Propterea (inquit Joan. 1. 2.) *Magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed patrem suum dicebat Deum, & æqualem se faciens Deo.* Pejores sunt Judæi

Arriani, & obtusiores ingenio illis: quoniam Judæi bene intellexerunt Christum prædicantem se æqualem patri per hoc solum quod dixit se filium Dei. Videbant enim non posse aliter fieri ut filius Dei esset, quin esset etiam Deus, & per consequens æqualis patri, & ejusdem naturæ cum eo. Præterea, Behemoth ille qui diaboli figuram gerit, principium viarum, hoc est operum Dei, in libro Job cap. 40. prædicatur: eo quod prima sit Dei creatura. Oportet ergo hac ratione, ut filius Dei non factus esse credatur, aut illum post Behemoth factum esse putetur: quoniam alioquin non erit possibile ut Behemoth sit principium viarum Dei: deinde ipsemet filius Dei de hac re testimonium perhibet (Jo. 10.) dicens: *Ego & pater unus sumus.* Qui locus (mea quidem sententia) apertissime Arrium convincit: quamquam Erasmus Roterodamus, aliter sentiat, dicens hoc loco parum agi contra Arrianos: quia de re eum nunc in contentione voco, non quod cum Arrianis illum sentire credam, sed ut ostendam quod male locum illum Joannis circumspexerit: nec mirum, quia quandoque (ut est in proverbio) bonus dormitat Homerus. Credo certe eum aliter nunc sensurum, si locum revisat, & diligenter scrutetur. Ut autem clarius agamus, verba ejusdem Erasmi referam. Is enim vir in annotationibus super primam catholicam epistolam Joannis exponens illud: *Tres sunt qui testimonium dant in celo, &c.* sic ait: Dominus Joannis decimo dicit: *Ego & pater unus sumus.* Hoc testimonio quomodo prosterneretur Arrianus? nisi doceas unum in literis sacris non appellari, nisi quæ sunt ejusdem substantiæ. Nunc quum innumera loca suppetant quæ docent intelligi de consensu manuumque benevolentia, ad confirmandam opinionem orthodoxi valeat: ad retundendam hæretici pertinaciam non video quantum valeat. Quod autem Christus ibi loquatur de concordia quam habet cum patre, probabili conjectura colligitur, quod Christus non responderet ad id quod dixerat se esse unum cum patre, sed quod Deum appellabat patrem suum, sequæ singulari quodam modo vocabat filium Dei. Hucusque Erasmus. Sed hic locus apertissime Arrium convincit. Ut autem hoc ostendamus, video à nobis hoc exigi, ut probemus locum illum nullo pacto posse de animorum concordia intelligi. Pro qua re plene exhibenda illud est ante omnia aspiciendum, quid est in eo loco subjecta materia, de qua sermo fiebat: & quis scopus ad quem Christi verba dirigebantur. Hoc enim est maxime necessarium ad cujuslibet scripturæ intelligentiam, videlicet ejusdem scripturæ circumstantias scrutari, ex quarum scrutinio facile scripturæ intellectus hauritur. Christus siquidem in eo loco cum de ovibus suis differeret, dixit: Non rapiet eas quisquam de manu mea, hoc est de potestate. Solemne est enim in sacris litteris potestatem nomine manus designari. Et ut alia multa testimonia omittam, illud est apertum ubi dicitur: (Aggei. 1.) *Factum est verbum domini in manu Aggei Prophete.* In manu, id est, in potestate ejus. Sic etiam hic accipiendum est cum Christus dicit: *Et non rapiet eas quisquam de manu mea: nisi forte velimus Deum cum Antropomorphitis corporeum credere, quoniam etsi de Christo posset juxta litteram dici quod habeat manus juxta naturam humanam, de patre tamen hoc non potest dici, de quo postea dicitur: Nemo potest rapere de manu patris mei.* Christus ergo volens ostendere oves suas esse tutas, dicit: *E non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ut autem hoc probaret, addidit sequentia dicens: *Pater qui dedit mihi, major omnibus est.* Sic enim ibi legit Erasmus: *Et nemo potest rapere de ma-*

manu patris mei. Ut enim probet Christus neminem posse rapere oves suas de manu sua, hoc assumit, quod videlicet nemo potest rapere de manu patris sui. Unde colligitur quod nemo possit etiam de manu sua assumere. Quod si quis de collectione dubitaverit, tamquam male colligerit, addidit: *Ego, & Pater unum sumus*. Quo dicto probavit bene collegisse in argumentatione sua. Nam si ille, & Pater unum sunt, non magis poterit rapere de manu sua, quam de manu Patris. Et quod ille sit verborum ordo, ex littera ipsa patet, & Augustinus, & Theophylactus sic eam distribuunt. Cum ergo ad hunc finem verba illa Christus dixerit, constat apertissime, nullo pacto posse intelligi de unitate animorum, sicut alibi dicitur: (*Act. 2.*) *Erat eorum cor unum, & anima una*. Nam si de unitate, & consensu animorum verba illa interpretentur, collectio Christi erit nullius valoris, ut clarissime patet. Sic enim argumentatur: *Nemo potest rapere de manu Patris mei*: ergo nemo potest rapere de manu mea. Si quis neget eum bene collegisse, probat dicens: *Ego, & Pater unum sumus*. Unum inquam potestate, de qua tunc erat questio, unum inquam natura. Unam certe oportet esse manum Patris, & Filii, ut bene colligat Filius neminem posse rapere oves de manu sua, per hoc quod nemo potest rapere de manu patris sui. At si de unitate animorum, & mutua benevolentia loqueretur, qualis erat illa collectio? Quis non videt illam esse prorsus invalidam? Ad hunc enim modum posset quis in gratia existens dicere, & argumentari: *Nemo potest hunc calamum rapere de manu mea, quia nemo potest rapere de manu Patris omnipotentis, qui in cœlis est*. Quod si quis dicat collectionem esse prorsus inutilem, in eisdem collectionis probationem subjiciat id quod Christus dixit: *Ego, & Pater unum sumus*. Jam (ut opinor) satis aperte offendimus quam efficax sit hoc scripturæ testimonium adversus Arrianos. Quod si Erasmus bene circumspexisset, certe scio quod rectius intellexisset. Verum ille (ut patet) non aspexit ad præcedentia, sed solum ad sequentia, per quæ Christus respondit Judæis. Judæi namque audito illo verbo melius quam Arriani illud intellexerunt, ex illo colligentes Christum se dicere Deum, quia dixerat sese unum cum Patre, quod dictum per sequentia verba quodammodo confirmat. Accedit ad hæc, quod Paulus de eodem Filio Dei loquens (*Phil. 2.*) ait: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Vides hic æqualitatem Dei. Cur ergo Arrii audes dicere Deum Patrem majorem, filium vero esse minorem? Adverte etiam quod hic Paulus de Christo loquens secundum expressam divinitatem dixit, *cum in forma Dei esset*: non autem dicit, cum in forma Dei factus esset, sicut alias de eo juxta humanitatem dictum est: (*Joann. 1.*) *Verbum caro factum*. Non ergo sic dixit, sed ita, *cum in forma Dei esset*, quia esse esse proprium Dei, juxta illud: (*Exod. 3.*) *Ego sum qui sum*. Ex eodem etiam scripturæ testimonio convincitur Sabellius. Nam qui par est, & æqualis, alterum habeat oportet cui collatus æqualis reperiat. Ex illa ergo æqualitate duæ ostenduntur personæ. Sed jam opus est ut contra dictum Origenis ostendamus Filium Dei orandum. Hoc autem non est magnum negotium, cum apertissima sint scripturæ testimonia. Propheta siquidem de Filio Dei loquens (*Psal. 96.*) ita ait: *Adorate eum omnes Angeli ejus*. Hæc autem verba Paulus interpretatur esse dicta à Patre cœlesti de Filio suo unigenito, sic dicens (*Heb. 1.*) *Et cum iterum in-*

truducit primogenitum in orbem terræ, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Quomodo ergo non est orandus, quem clare constat esse adorandum? Quo testimonio non minus profertur Arrius quam Origenes. Si enim Filius Dei est creatura (ut Arrius ait) quomodo illum Deus Pater adorare jubet, qui alias omnis creaturæ adorationem tam strictè prohibuit? Omitto Magorum adorationem huic etiam in cunabulis existentem exhibitam. Præterea. Stephanus cum lapidaretur à Judæis, Jesum Christum Filium Dei orabat, dicens: (*Act. 7.*) *Domine Jesu suscipe spiritum meum*. Postis autem genibus, clamavit voce magna dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*. Petrus etiam, ut Bœcam paralyticum à morbo liberaret, ait: (*Act. 9.*) *Bœca, sanet te Dominus Jesus Christus*. Vox certe illa deprecantis est, non imperantis, quia nemo imperat nisi illi quem credit sibi subiectum. Denique Paulus ait: (*Philip. 2.*) *Dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum*. Quod ante Esaias prophetaverat, qui Dei nomine loquens, ait: (*Isa. 45.*) *Mihi curvabitur omne genu*. Talis autem genuflexio cuiusdam adorationis, & humillimæ deprecationis iudicium est. Præter hæc tam aperta scripturæ testimonia extat Concilii Nicæni definitio, quod sub Constantino majore celebratum est, in quo trecenti & decem & octo patres congregati, talem ore proprio ad suam, & nostram salutem confessi sunt fidem. Fides Nicæni Concilii. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem: visibilibus & invisibilibus conditorem. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, natum de Patre unigenitum, hoc est de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, consubstantialem Patri, id est, unius substantiæ cum Patre (quod Græci *omousion* dicunt) per quem omnia facta sunt quæ in cælo, & in terra, &c. Hæc Concilium Nicænum. Eandem fidem protulit Concilium Constantinopolitanum, sub Theodosio majore celebratum, & Concilium Ephesinum, sub Theodosio juniore, & Concilium Chalcedonense, sub Martino Imperatore, & plurima alia Concilia hoc idem confessi sunt, de qua extat liber unus beati Hylarii, de synodus celebratis adversus Arrianos, in quo libro reddit rationem eorum Conciliorum quæ adversus Arrianos celebrata sunt. Verum quoniam Arriani aliquot scripturæ loca perperam intellecta adducunt in suæ hæresis testimonium, pro illis ferme omnibus dissolvendis sufficit admonere lectorem, ut quoniam in Christo duæ sunt naturæ: quædam divina, secundum quam æqualis est Patri: altera humana, secundum quam minor est Patre: quotiescumque scriptura Christo tribuit infirmitatem, aut inæqualitatem Patri, aut alia hujusmodi, ea intelligat esse interpretanda juxta naturam humanam, secundum quam infirmus fuit, & debilis, & Patre minor. Secundum illam verbum caro factum esse dicitur, secundum quam Patrem orat, & cum clamore valido, & lacrimis preces effundit. Reliqua autem de illo juxta divinitatem sunt accipienda. Contra hanc hæresim plures scripsere. In primis Athanasius, quem cum eodem Arrio disputasse ferunt, scripsit de unitate trinitatis libros duos. Beatus Cyrillus scripsit opus insignis, quod thesaurum inscripsit, quatuordecim libris partium, in quo contra plures hæreticos agit, præcipue tamen contra Arrianos. Ex latinis scriptoribus primus (quod sciam) ex his qui extant fuit Hylarius Pictavorum Episcopus, qui etiam in libris de Tri-

nitare diffuse contra Arrium, & alios hæreticos disputat, tamen speciale librum de hac re contra Arrium ædificavit Patris, & Filii unitate. Victorinus Afer, à quo dicitur Hieronymum didicisse Rhetoricam, quatuor libris contra Arrium disputat, quod opus ante annos quinque est impressum Basilea inter illa opera que in Antidoto hæresum coærvata sunt. Beatus Ambrosius scripsit de fide orthodoxa contra Arrianos librum unum. Beatus Augustinus sapissime cum Arrianis (ut jam ostendimus) disputavit, & libros contra eos, composuit plures: contra sermonem Arrianorum librum unum: contra Maximinum Arrianorum Episcopum libros tres: contra Felicianum librum unum. Idacius clarus Hispanus, qui (ut suspicor) eodem ferme tempore fuit quo Augustinus scriptis adversus quemdam Variandum Arrianum insigne opus, quod etiam habetur in eo volumine quod Antidoto hæresum inscribitur. Alios autem non vidi. Septima hæresis est quæ negat Filium Dei esse verbum. Hujus hæresis auctores (ut Augustinus in libro de Hæresibus, cap. 30. ait) dicti sunt Alogiani, quasi sine verbo. Logos enim Græce, Latine verbum dicitur. Et quia in Evangelio Joannis expresse hoc habetur quod Filius Dei sit verbum Patris, hac occasione Evangelium illud non recipiebant, dicentes illud non esse Joannis Apostoli. Contra hanc hæresim non est opus disputare, cum sit tam apertum testimonium Joannis Apostoli, quod nullo pacto negare possunt. Superius enim ostendimus catalogum librorum canonicorum, in quo insertum est Evangelium Joannis. Quo catalogo assignato, tunc signavimus arma catholicis, & hæreticis communia, quibus & hæreticum se tueri, & catholicum pugnare oportet. Cum ergo hi hæretici provocent catholicos ad certamen, non est quod arma jam recepta veluti culpam rejiciant. Sed ne testimonio carere videatur opus est ut aliunde etiam testimonia petamus ad hanc hæresim rejiciendam. Sapiens namque ait: (*Sap. 16.*) *Cum quietum silentium continent omnia, & nos in suo cursu medium iter haberent, omnipotens sermo tuus domine exiens de celo, à regalibus sedibus durus debellator in medium exterminii terram pressuravit*. Hæc autem verba constat non posse intelligi de sermone prolato, qui verberato aere sonat, quoniam ille omnipotens non est, sed solus Deus omnipotens est. Et alibi expressius: (*Ecc. 11.*) *Fons sapientiæ verbum Dei in excelso*. Et Propheta in persona Patris loquens, ait: (*Psal. 44.*) *Eruclavit cor meum verbum bonum*. Constat autem quod de Filio Dei loquatur, quoniam de illo sunt illa quæ sequuntur: *Speciosus forma præfiliis hominum, &c.* Et Esaias apertius hoc docet, quod ait: (*Isa. 40.*) *Excitatum est fanum, & decidit flos: verbum autem Dei nostri manet in æternum*. Verbum, aut prolative simul cum ipso sono transit, & minorem durationem quam sonum habet: quapropter fieri nequit ut ad illud verba Esaiæ referantur, sed ad Filium Dei, cujus adventus in hunc mundum in illo capite prædicatur. Illud ergo verbum quod est æternum, & omnipotens, & quod est fons sapientiæ, quodque Pater cœlestis eructavit gignendo, & quod ex ore altissimi prodit illud inquam est Filius Dei. Taceant ergo Alogiani, & quæ non intelliguntur tamquam sacramentum abconditum, & noluit res divinas ex capacitate sui intellectus metiri.

Octava hæresis est de Filii persona male sentiens. Dicit enim Filium Dei ignorare diem ultimum. Hujus hæresis auctores (ut Isidorus, lib. 8. Etymologiarum, cap. 5. ait) dicti sunt Ignoræ, eo quod ignorantiam impin-

gant Deo. Quis fuerit primus hujus hæresis inventor, aut quo tempore cœperit, Isidorus non prodidit, neque apud alium ego invenire potui. Ad hoc autem dicendum moti sunt propterea quod Christus apud Mathæum, cap. 24. dixit: *De die illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater*. Et apud Marcum expresse nominatur filius, ubi sic dicitur, cap. 13. *De die autem illa, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater*. Sed antequam huic objectioni respondeamus, oportet ut nostram, & catholicam fidem prius confirmemus. Propheta Regius ait: (*Psal. 118.*) *Omnis consummationis vidi finem*. Cum ergo ultimus dies finis sit, & consummatio temporis, sequitur quod illum viderit. Si forte dicas illud Prophætæ dictum non esse Filio Dei tribuendum, saltem Esaiæ dictum, cap. 63. non poteris hac occasione rejicere: quoniam de Christo Filio Dei pro nobis crucifixo loquens, ita sub nomine ejusdem Christi ait: *Torcular calcavi solus, & de genibus non est vir mecum. Calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea: & aspersionem est sanguis super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus retributionis mea venit*. Hic aperte vides Filium Dei fatentem se scire diem ultimum, quoniam ait: *Dies ultionis in corde meo*. Quæ verba constat in persona Filii Dei esse dicta, quoniam qui dixerat: *Torcular calcavi solus, &c.* eadem verborum consequentia subjunxit, dicens: *Dies ultionis in corde meo*. Præterea, Paulus de Filio Dei loquens, ait: (*Col. 2.*) *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*. Si omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, ergo etiam notitia ultimæ diei. Rursum. *Omnia per Filium Dei facta sunt* (ut ait Joannes Apostolus, cap. 1.) ergo etiam tempus, & omnes dies per illum facti sunt: ergo & ultimus ab illo mente jam factus est, qui novit omnia quæ facturus est, antequam fiant. Deinde ipsemet Filius Dei ad Patrem loquens, ait: (*Joann. 17.*) *Omnia mea, tua sunt, & tua, mea sunt*. Aut ergo Filius scit diem ultimum quemadmodum Pater, aut Pater ignorabit quemadmodum Filius, quoniam alioqui falsum esset quod Filius ait Patris: *Omnia tua, mea sunt*. Et in alio loco: (*Luc. 10.*) *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Sed si ultimus diei notitiam sibi Pater servavit, oportet ut non omnia Filio suo Pater dederit. Accedit ad hoc, quod si ultimum ignorat, omnes etiam qui sunt ante illum oportet ignorare: quoniam si ignorat diem ultimum, sciet etiam illum solum sibi ignoratum: & si sciret omnes præcedentes diem ultimum, necessario sciet diem proxime sequentem esse ultimum, alias non esset certus se scire omnes dies præcedentes. Quod si certo scit omnes dies præcedentes ultimum, tunc jam sciet proxime sequentem fore ultimum, & ita sciet ultimum. Aut ergo ultimum scit, aut si ultimum ignorat, præcedentes eum ignorare erit necesse. Ostenso igitur quod Filius Dei scit ultimum diem æque bene ut Pater, superest ut declaremus quo pacto intelligendum sit cum ait se diem illum nescire. Pro qua re valde suscitatur nobis id quod in Actis Apostolorum, cap. 1. legimus, discipulos interrogasse Dominum, dicentes: *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? quibus ille respondit: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate*. Ibi certe Filius non negat se scire, sed solum ait non spectare ad illos illius diei scientiam. Unde colligitur illum diem esse secretum, & nulli revelandum. Quod prudens ipse Dominus fecit, ut nos cautos redderet, & hac occasione